

1443

*In Turcos
pluribus lo-
cis pugna-
tum.*

missio. In Turcos quoque triremes aliquot per hæc tempora Venetiis instructæ dicuntur: verum neque numerus ab his qui rem memoriæ prodiderunt, neque præfecti nominem traditur. Ex negociatoriis quæ ex Syria onustæ redibant, Contarena subita tempestate disiecta periit: turma navalis, quæ in littus naufraga annataverat, in onerariam Antonii Abrami imposita, circa Methonem factio iterum naufragio, periit. Duplex clades ad id naufragium est secuta, virorum videlicet, quæ eo major fuit, quo plures in eo mortales fuere, nec non & preciosæ mercis, quam quinquaginta millibus æstimatam memorant. Duæ quoque triremes Leonelli Æstensis nomine instructæ, quarum altera purpurea habuisse vela dicitur, ex Ortona Pelignorum urbe, Aragoniæ Regis filiam illi matrimonio locatam Venetias advexere: Victor Capellius & Franciscus Lauretanus triremium præfecti fuere. Sponsa in amici Principis gratiam magnificentissimo apparatu excepta est. Publicum navale cum toto armamentario regiæ puellæ & illustribus viris, qui illam officii causa sequebantur (in quibus Sallernitanus Princeps fuisse traditur) spectaculo patuit. Traducta deinde puella in Rivumaltum per *Merceriam* viam, ad tempus stupenda mercium opulentia instructam. Proditum est memoriæ, tanto undique studio ad eam visendam concursum, ut præ nimia mortalium frequentia Rivumaltini pontis latera repente convulsa ingentem hominum vim in subjectas aquas secum traxerint, ad ducentosque eo casu in altos fluctus præcipitados, quorum viginti profusus obruti sint, ac ferè totidem debilitati. Multis ad hæc honoribus amplissimisque muneribus eam abeuntem Patres prosecuti sunt. Quo effectum est, ut non multis interjectis diebus Leonellus Venetias venerit, ut Principem & Senatum salutaret, ageretque ei & omni Veneto nomini gratias, quod tam honorifice splendideque sponsam accepisset suam. Verno ejus anni tempore octo in Turcos triremes Eugenii sumptu Venetiis summo studio instructæ. Id negocium Pontifex Joanni nepoti, ex Condulmaria familia, Cardinali mandarat. Triremium præfecti fuere Alo-

visius

1444

*Leonelli
Æstensis
uxor hono-
rificentissi-
me Venetiis
accepta.*